CANTVS
TRIVMPHANTIS ECCLESIÆ AD MILITANTIS VOTA

VARIAS

DEIPARAE VIRGINI

LAVREOLAS CONCINNANTIS,

QVOS

IN COLLEGIO CLEMENTINO
Patrum Congregationis Somaſchæ
Languida, ſed pia retulit Echo

INTER ANNIVERSARIA EIVSDEM
VIRGINIS ASSVMPTÆ
SOLEMNIA
Romæ Anno 1666. celebrata,

SODALITII PRAEFECTO
ABBATE FRANCISCO BERTONO
Marchione de Crillion, eiuſdem Collegij Conuictore.

ROMAE
Ex Typographia Fabij de Falco 1666.

Superiorum permiſſu.

MILITANTIS ECCLESIAE
PRO
DEIPARA
LAVREOLIS DONANDA
VOTVM.

SIC te perpetuò beet
Supremi facies lucida Numinis,
Arcanaſque ſui Deus
Optanti retegat conſilij vias,
Felix Aligerum cohors,
Aulæ ſidereæ præcipuum decus,
Pubes, Getſemani ſolo
Quę iam Diuiparæ credita corpora
Nocte concubiâ rapis,
Ac tollens animæ dimidium meæ
In ſummo ſtatuis polo.
Furto ſed veniam redditus impetrat
Virtuti locus, & ſuum
Sudori pretium, palmaque nobilis.
Tantùm Laureolas, precor,
Non vno, MARIAE, nomine debitas

Nectant Angelicæ manus;
Dextrâ non licuit tangere ſordidâ
Sole ſplendidius caput;
Nec tellus nimio flagitio natans
Flores parturijt ſinu
Auſos cæſariem lambere cælicam.
Hos flores amet Euius,
Cum Florâque Venus; Virgineæ comę
Poſcunt Virgineam manum
Serta ſtelliſeris è Viridarijs.

TRIVMPHANS ECCLESIA

DEIPARAE VIRGINI

Triplicem ad numeros muſicos intexit Laureolam, & primò Virginitatis.

ODE PRIMA.

HEVS ò ſodales. fertur ab infimo
Sublata mundo maxima Virginum
Auctura noſtras fauſtitates,
Quadrijugo ſuper aſtra curru.

Noſtrę-

Noſtræque parcunt muneribus manus,
Et noſtra parcunt guttura vocibus?
Ah tota fermè tardiori
Iam perit officio venuſtas.

Ergò pudorem virgineum notent
Contexta ſacro ſtemmata vertici;
Vertex liguſtris, lilijſque,
Lilia laudibus illigantor.

Hæc ceſpitantem prima puertiam,
Aeuiq; florem clauo adamantino
Sacrat Pudori; ſic nitorem
De tenero meditatur vngue;

Formoſa cunctas vna iuuenculas
Anteit, nec atras ore faces iacit.
Procul nefaſte, qui niuali è
Fronte trahis piceos calores;

Hinc ſanctioris igne cupidinis
Forſan caleres; vel ſtygiæ faces
Minùs valerent; Eſt mare hoc, eſt
Occiduum faculis auerni.

Quàm carus illi Virgineus pudor !
Hæc vel Tonantis confieri parens
Electa, nutat, virginali
Ni locus extiterit pudori.

Fæcunda ſancti mox ope Flaminis
Deum caducis artubus abditum
Intacta profert, ceu repoſta
Lilia parturiunt odorem.

Aut qualis ipſa, quam terimus pede;
Stellata moles lumina diuidit
Solo iacenti, nec notatur
Greſſibus egredientis aſtri.

Virgo maritam (fucus abeſt) agit;
Virgo parentem, Virgo puerperam,
Virgo papillas porrigentem,
Nec tenui maculatur vmbrâ.

Illam tuetur ſcilicet altior
Virtus obumbrans, lux nitidiſſima;
Dum ſeſe opacos allaborat
Reddere conſpicuam per artus.

Abſit, nitorem vt Virgineum Deus,
Quo captus arſit, deterat inuidus:
Suo vel ipſum tantus hoſpes
Hoſpitium cumulat nitore.

Ergo MARIAE munditiem canat,
Quiſquis canendo eſt munditiē Dei:
Stringenda tellus; quaſſa vaſtum
Noſtra timet pelagus carina.

Deindè Martyrij Laureolam concinnat.

ODE SECVNDA,

AT quis Virgineæ laureolæ ſtupor
Ingrato liquidas obruit otio
Voces; & prohibet, cætera feruidas,
Noſtras obſequio manus?

An non Diuiparæ debita ſtemmata,
Ornant quæ reliquos inclyta martyres?
Imò & purpureo celſior agmine
Primas hæc ſibi vendicat.

Ergo martyrium purpureus notet,
Iunctis ritè roſis, circulus, & roſas
Pectus cum citharis, organa, barbita
Digna laude reuinciant.

Non, quòd Chriſtiadū tinctæ cruoribus,
Mitis Diuiparæ mucro peperceris;
Enſis vulnifici defuit impetus
Caſtas perfodiens fibras.

Non, ſi ſanguineas artubus integris
Gaudens cæde furor cōtinuit manus,
Pœnis lętus Amor tortor amantium
Sæuas abſtinuit faces.

O quàm, Virgo, tibi feruida caritas
In magni ſobolem Numinis, ac tuam,
Quâ te cuncta canunt ora loquentiū
Felicem ter, & amplius!

Dixiſſes: oculis diligo plus meis;
Plus, oh plus animâ diligo. Lux, amor
Spes, cor, vita mihi filius; & duo
Vno viuimus halitu.

Sed quantis hic amor perculit ictibus,
   Pectus, Virgo, tuum, quũ furor impotens,
   Et præceps rabies immeritam truci
      Affixit ſobolem trabi ?

Ah non tota ſeges liuida verberum,
   Ah non tota lues improba ſcommatum,
   Ah non tota acies horrida vulnerum
      Dilectam in ſobolem cadit.

Cum nato genitrix omnia diuidis:
   Te claui paritèr, ſpina, flagella, crux
   Transfigunt, terebrant, dilaniant, necant
      Palmæ participem inclytæ.

Erramus; nec enim diuidis omnia;
   Sed, quæ magna ſubit filius, integra
   Tu tormenta voras; oh furor, oh amor
      Tanto in diſſidio pares!

Illi victima fit filius; huic parens;
   Artus ille ſecat, hic animam fodit,
   Cultro, cui Solymæ de penetralibus
      Vates indoluit ſenex.

Par vtrinque ſcatet, fons, lacrymæ, cruor;
Imò vtrinque cruor, ſed ſibi diſcolor;
Atque vtrinque tuus, vulnera ſeu lauit,
Fædè ſeu miniat Dei.

In nato moreris, cuius ab halitu
Hæret vita tibi; quin ope cælicâ
Viuis, vel moriens; cæſa vires; neci
Quò ſit tergeminæ locus.

Extinctæ ſoboli enormia non dolent.
Impactæ lateri vulnera lanceæ;
Te te conficiunt, exanimem obruunt;
Abſumuntq; mudullitùs.

Pœnarum imperium ſic prior occupas
Vnâ prole minor; cætera martyrum
Longè ſtat legio; te ſtupet, ac tuos
Palmam proijcit ad pedes.

Tertia rurſus Laureola donatur Deipara tanquam Fidei, & Pietatis Magiſtra.

ODE TERTIA.

TErtiò flexum coeant in orbem
Serta cæleſti ſocianda cantu;
Dextra iucundum repetens laborem
Fila retexat.

Quilibet florum metuens omitti
Certat in ſerto tibi deſtinato,
Virgo, præferri cupiens verendam
Scandere frontem.

Ergo de quauis, agedum, legatur
Stirpe flos vnus; varioque flore
Stemma texatur meritâ MARIAE.
Laude reuinctum.

Floreum Virgo decus hoc repoſcit
Cælitus lapſæ Fidei Magiſtra,
Norma credentum, columen piorum,
Atque columna.

Numinis veram fore ſe parentem,
Labe ſeclusâ niuei pudoris,
Credit, & dicto Angelico fidelem
Commodat aurem.

Credit, humano generi ſalutem
Affore, & nato ſine fine regnum;
Credit; & cælo vade, quiſquis, inquit,
Ambigit, errat.

Quærat ad cædem puerum tyrannus;
Sit fugâ triſti redimenda ceruix;
Impetant captum Solymæ furentes,
Et cruce plectant;

Illa, ceu totâ ſuperans Olympus
Fronte nimborum patriam, ſereno
Spirat in cælo, ac meliora ſperat.
Auſpice nato.

Mortis hunc fluctus rapiant profundi,
Aſſeclas aufert pauor, & latebræ;
Adſtet ex Orco rediuiuus; illis
Genua labaſcunt.

Scilicet nutant; oculis vel ipſis
Credere inſani renuunt, eruentas
Ni vias ferri (ſcelus) obſtinata
Dextra recurrat.

*S*ola conſtanti, ſapiens Virago,
Stat fides greſſu tua; ſola flecti,
Sola nutare indocilis, Deo quòd
Nixa loquente:

Hinc ſuas Chriſto repetente ſedes
Linqueris terris fidei Magiſtra,
Linqueris veræ pietatis vna
Mater, & altrix.

Te quater trini proceres Senatus,
Iudices orbis, procerum parentes
Conſulunt vnam dociles, tuoque
Penduli ab ore.

Si

Si quid eſt ſacratiùs inſtitutum
  Quo fides regnet, pietaſq; creſcat,
  Tu bonam inſpiras, pia Virgo, mentem, &
    Pectora firmas.

Si quis horrendo coluber veneno
  Deſtitit puras temerare lymphas,
  Tu, quibus languet moriens, miniſtras
    Tela, faceſque.

Oh premas, Virgo, pede fulminanti,
  Quicquid hydrorum gelidâ ſub Arcto
  Serpit, & quicquid furiale toto
    Sibilat orbe;

Quæque millenis operoſa templis,
  Terq; millenas operans ad aras
  Et prece, & votis ſuperos fatigat,
    Roma fidelis

Ferueat ſacro pietatis æſtu,
  Se probet caſtæ fidei tenacem,
  Eius & puro, duce te, nitore
    Impleat orbem.